

[II m 2]

SI QUANTAS metrum secundum libri secundi<sup>1</sup> quod dicitur Asclepiadium a frequentatore non ab inuentore, ut patet per Ysidorum, Ethymologiarum libro primo, capitulo de metris,<sup>2</sup> coriambicum<sup>2</sup> a pede predominante. Constat enim spondeo duobus coriambis et pyrrhicio uel iambo; cuiusmodi metrum est illud "sanctorum meritis." Huic autem miscuit Ferecracium sic dictum ab inuentore. Constat autem primo pede spondeo uel anapesto quamuis raro, secundo dactilo, tercio spondeo uel trocheo. In hoc autem metro conqueritur Fortuna de inexplicabili cupiditate hominum dicens (6) SI COPIA scilicet quam gentiles deam copie dicebant PLENO CORNU TANTAS FUNDAT OPES QUANTAS ARENAS PONTUS (1) INCITUS id est commotus RAPIDIS FLATIBUS VERSAT (2) AUT QUOT SYDERA EDITA id est propalata CELO id est in celo FULGENT STELLIFERIS NOCTIBUS id est noctibus quibus apparent stelle (5) NEC RETRAHAT MANUM scilicet cessando a tali effusione opum (7) HAUT pro non IDEO HUMANUM GENUS CESSET id est cessabit FLERE id est flendo proponere MISERAS<sup>3</sup> QUERELAS. Nota quod, cum Achelous<sup>4</sup> luctando cum Hercule (de quo magis dicetur infra libro quarto metro ultimo) mutaret se in taurum, Hercules apprehendens eum per ~~as~~

---

*2 I xxx; x 8*

-----  
 1 libri secundi RP (1.2. O) libro secundo J / 2 coriambicum R  
coriambis cum P coriambum J coryambum ex coruambum O / 3 miserias  
RP miserias J / 4 achelous O achelaus R athelous P athilles  
in ras. J /

[II m 2]

cornu effrigit illud quod nimphe repletos pomis et floribus  
 odoriferis consecrauerunt deo Copie. Sic<sup>5</sup> fingit Ouidius  
 Methamorphoseos libro quarto. Alii dicunt quod Hercules  
 descendens ad infernum inuenit cornu quod consecrauit deo Copie.  
 Hoc autem cornu dicitur illa dea effundere<sup>6</sup> necessaria nunc pleno  
 cornu nunc semipleno. Per cornu istud, quod durum est, significatur  
 labor agriculture quod Hercules id est sapiens adinuenit et deo  
 Copie consecrat, dum per huiusmodi laborem terram copiosam reddit  
 uel dea dicitur hoc cornu effundere opes quia secundum laborem  
 agriculture opes multiplicantur. Que quidem multiplicatio  
 aliquando est maior sicut in fertilibus annis in quibus Copia  
 dicitur effundere opes pleno cornu, quia tunc planarie remuneratur  
 labor cultorum. In sterilibus annis est minor in quibus dicitur  
 Copia effundere<sup>7</sup> opes cornu semipleno quia labor cultorum non  
 plene assequitur suum intentum. Continuacio: ita dixi quod  
 homines non cessant conqueri quamuis habundanter recipient. Cuius  
 causa est quia (9) QUAMVIS DEUS PRODIGUS MULTI AURI id est admodum  
 prodigus<sup>8</sup> multum aurum diffundens LIBENS EXCIPIAT VOTA supple  
 hominum et ORNET AVIDOS id est cupidos CLARIS HONORIBUS tamen IAM  
 PARTA id est acquisita uel possessa NIL VIDENTUR SED SEVA

5 sic RPO sicud J / 6 effundere RPO effunde J / 7 effundere RP  
 fundere JO / 8 prodigi RPPeGJMOD /

[II m 2]

RAPACITAS VORANS QUESITA id est deuorans acquisita ALIOS PANDIT  
 HYATUS id est receptacula cupiditatis unde quanto plus aliquis  
 habet tanto plura desiderat, propter quod libro primo Fastorum  
 dicit Ouidius.

Creuerunt et opes et opum furiosa cupido,  
 et cum possideant plurima plura petunt.

Querer<sup>e</sup>, ut absumant, absumpta requirere certant,  
 atque ipsis uiciis sunt alimenta uices.

Item de eodem Iuuenalis satira 14:

Interea pleno dum turget sacculus ore  
 crescit amor nummi quantum ipsa peccunia <sup>9</sup> ~~peccunia~~ crescit  
 et minus hanc optat qui non habet.

(15) QUE ERGO FRENA RETENTENT tam precipitem cupidinem CERTO  
 FINE CUM POCIUS SITIS<sup>10</sup> HABENDI LARGIS FLUENS MUNERIBUS ARDESCIT  
 et ideo iste QUI TREPIDUS scilicet timore uenture aduersitatis  
 GEMENS CREDIT SESE EGENTEM NUMQUAM DIVES AGIT id est uiuit uel  
 ducit se tanquam diues esset. Hic terminantur uerba Fortune et  
 sunt prosopopeia.

a v. 211-214

b v. 138 - 140

-----  
 9 ipsa peccunia R (ipm peccunia Q) peccunia PJ / 10 sitis RPO  
 situs J /